

puerum seminiuum. rugitum maximum emittit circa ipsum. Et sic puerum suscitatur tanquam somno. et ipse puer seu catulus leonis incipit capere quinque sensus exteriores. scilicet. visum auditum gustum tactum et olfactum. **T**ercia natura leonis est quod nunquam dormit clausis oculis. sed semper dormit oculis apertis quando dormit. **N**ota quod autor merito primo determinat de natura leonis. quia secundum philosophum in libro de animalibus. leo est rex omnium animalium et ferarum.

**H**ic tibi qui celsi residens in culmine celi.

Cum libuit tandem terrenam visere partem

Ut genus humanum renouares crimine lapsum.

Non penitus notum fuit ulli demoniorum.

Viscera marie tibi christe fuisse cubile

Et qui te genuit triduum post surgere fecit.

Cum mortis vindex mortem crucis in subiret

Tu nos custodes qui nullo tempore dormis.

Peruigil ut pastor ne dirigat de grege rector.

**H**ic autor ponit consequenter allegorias de natura leonis dicens sic sicut leo habitat in alto monte. sic christus spiritualis leo habitat in summo celo. Unde dicitur. Ego in altissimis habito. Et sicut leo cum descendit de monte delet vestigia pedum ne venator reperiat ea. sic christus quando de celo descendit in uterum virginis marie gloriose. ut redimeret genus humanum per incarnationem. sic occultauit se christus quod nullus dyabolorum nouit christum esse filium dei aut natum ex maria virgine. **S**ecunda natura leonis sic comparatur christo. quia sicut leo post tertium diem suscitatur puerum mortuum: sic postquam iudei crucifixerunt christum iacuit